



Google




SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
1871, July 1.



Quaestiones Vellejanae.

Quaestiones Vellejanae.

Scripsit

Eugenius Wilhelmus,

Philos. Doctor.

---

c. Jenae

sumptibus et typis F. Maukii.

MDCCCLXVI.

1871, July 1.

Salisbury Fund.

Patri Carissimo

D. D. D.

Constat inter omnes qui in antiquis litteris versantur paucos admodum veterum scriptores tam multum et laboris et molestiae interpretibus et criticis attulisse quam Vellejum. Nam cum omnium fere scriptorum latinorum, quorum quidem scripta ad nos pervenerint, codices habeamus aut antiquissimos ideoque optimos aut certe tales, quibus recte accurateque inter se collatis archetypon restitui possit: tum Vellejus tam corruptus tamque misere laceratus posteritati est traditus, ut vix ulli veterum scriptorum graviora vel temporis iniquitas vel criticorum male sedula cura inflixerit vulnera quam ipsi Vellejo. Quod quo majorem scriptor legentibus praebet jucunditatem venusto quodam atque exquisito scribendi genere, eo magis dolendum est. Unus enim qui fuit historiarum ejus codex manuscriptus, ex quo Rhenani editio typis impressa est, asservatus tum in monasterio Benedictinorum Murbacensi in superiore Alsatia sito mirum in modum vetustate arrosus ac depravatus fuit. Fatalem jacturam auxit, quod codex Murbacensis post Rhenanum et Burerium a nullo visus mox disperiisse videtur. De Amerbachiano autem libro usque ad hoc tempus nobis asservato, cui fideliter quidem exprimendo Orel-

lius satis operae navavit, tamen falsa de ejus praestantia opinione seductus nimium tribuit auctoritatis, Frid. Haasius, cui omnium editorum plurimum debet scriptor pristinae integritati restituendus, praef. ad edit. Vellej. p. IV. ita judicat, ut huic codici aut nullam aut exiguam admodum et secundariam fidem tribuendam esse dicat. Amerbachianus enim liber quamquam aliquot cum bonas habet scripturas tum ejusmodi, ex quibus facilius quam ex editione principe veram lectionem eruas, tamen exemplis a Laurentio[1]) et Kritzio[2]) allatis quivis videt malarum scripturarum numerum bonas tantopere superare, ut de majore auctoritate Amerbachii libro tribuenda cogitari non possit. Quid? Quod Rhenanus atque Burerius Amerbachium non solum doctrina et ingenio, verum etiam codicum antiquorum legendorum peritia multum superaverunt. Quare recta ratio postulat, ut editioni principi primus in usu critico locus, Amerbachio secundus assignetur[3]).

Quoniam igitur operae pretium est animum advertere ad varias quae in ipsa editione principe reperiuntur scripturas, editionem principem ipse diligenter excussi, exemplo usus bibliothecae Jenensis, nondum antea collato, ex quo intellexi discrepantiam illam quam primus Orellius animadvertit in diversis ejusdem editionis exemplis deprehendi non omnem ab eo notatam esse. Quod idem vidit jam Haasius, cum exemplum bibliothecae regiae Vratislaviensis denuo accurate perscrutare-

1) Cf. Laurentii commentationem über den Werth der Amerbachischen Handschrift inscriptam in Novis Annall. Phil. et Paed. vol. VI fasc. 1 pag. 1—9 ejusque praefationem ad locos Vellejanos pag. XV—XIX.

2) Vid. Kritzii Prolegg. pag. LXXVI—CXXV.

3) Cf. Kritzii Prolegg. pag. CXVII.

tur. Uterque enim liber et Vratislaviensis et Jenensis p. 27 v. 11, qui locus est lib. II. cap. 35, 2 habet: homo virtuti simillimus, ubi in aliis non legitur homo, sed non. Item lib. II. c. 83, 2 pag. 47 v. 13 in utroque libro legitur: ignoverat. Hunc mox avunculum, ubi in aliis: Mox autem hunc avunculum. Simulque vidi ex collatione diversorum ed. pr. exemplorum ab Orellio et Laurentio instituta, quam uterque in praefatione libri sui proposuit, exemplum Jenense quinquies consentire cum eo, quod Turic. R. 81 ab Orellio notatum est, semel ab eo discrepare pag. 30, ubi in margine exempl. Tur. R. 81 leguntur haec verba: „al's destituerit nisi paulo ante velis legere obtinebant", quae in exemplo Jenensi desunt. His de Vellejani libri condicione expositis haud mirum videbitur neque superioribus neque nostris temporibus defuisse, qui suo ipsorum ingenio scriptori tam male tradito succurrere atque maculas abstergere studerent, quibus longa vetustas eum consperserat. Sed quamvis multi atque ipsi etiam artis criticae principes veluti Rhenanus, Burerius, Acidalius, Gerh. Vossius, Lipsius, Ruhnkenius, ut alios omittam, Orellius, Laurentius, Halmius, Kritzius, Haasius in Velleji scriptis corrigendis ac sanandis tantam et operam et industriam collocarint, ut eorum curis non parum scriptor debeat, tamen etiamnunc innumeris sane mendis scatet, quae a felicioribus manibus medelam exspectant. Quod verum esse luculenter apparet ex ingenti scriptorum numero, in quibus de Vellejo agitur. Quo latior igitur campus in Vellejo emendando philologis patet, eo majore cum industria ad ejus studium me contuli nec me, si uno alterove loco genuinam scriptoris manum restituero aut certe aliis verum inveniendi occasionem dedero,

studii ac laboris suscepti pigebit. Sin autem quis requirit, quam viam in arte critica exercenda ingressus sim, cum certis artis criticae fundamentis niti non possimus: hanc secutus sum legem, ut nisi scriptoris ingenio et dicendi genere accurate cognito ad emendandum eum non accesserim semper curans, num Vellejus ita potuerit aut debuerit dicere, atque ita quidem, ut neque ulla opinione praejudicata ductus Amerbachiano libro omnem fidem derogaverim neque editioni principi tanquam oraculo confisus sim.

Itaque cum constituissem de nonnullis locis ex Velleji historia romana ita disputare, ut et antiquam codicis lectionem tuerer et ubi manifesto mendosa erat, corrigere ac sanare studerem, ea quae inveni virorum doctorum judicio proponere visum est mihi aptissimum. Sicubi vero errore captus falsam emendandi rationem iniero, quo plus habet res difficultatis, eo clementius de me judicatum iri spero.

Scripsi Isenaci Cal. Jan. A. MDCCCLXVI.

Vellej. I, 6, 3:

Vellej. I, 6, 3 ed. pr. habet: ea aetate clarissimus Graji nominis Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii, fuit severissimarum justissimarumque legum auctor et disciplinae convenientissimae vir.

Vitiosam hic esse postremam vocem, „vir" in eo omnes fere consentiunt. Corruptam autem hanc scripturam judico non ob repetitam vir vocem, quam Vellejo, scriptori tam eleganti repugnare putavit Huthius falsa de Velleji elegantia opinione seductus[1]), sed quia quo vox convenientissimae pertineat non intelligitur. Nam cum aliis locis[2]) Vellejus ea voce ita utatur, ut quo referatur habeat, eam hoc quoque loco objecto quod dicitur non esse destitutam jure concludi potest. Quod ut restituerent, vario modo viri docti elaboraverunt. Ac Lipsius emendavit: convenientissimae viris, quod Jacobsius, Kritzius, Haasius probarunt. Sed ne haec quidem emendatio sententiam idoneam praebere mihi videtur. Recte quidem se habent ea, quae Kritzius ad lectionem „viris" de-

---

1) A Vellejo eadem vocabula vel in eadem enunciatione vel in confinio duarum saepissime repetita esse Kritzius exemplis satis superque allatis docuit simulque his refutavit sententiam eorum, qui ubi idem vocabulum brevi spatio interjecto bis vel ter legitur, de corruptela aut interpolatione cogitarent. Cf. Kritzii Prolegg. p. LXVII—LXX.

2) 1, 13, 5: convenientior decori publico illa imprudentia; 2, 14, 2: effudit vocem convenientissimam conscientiae suae; 2, 29, 2: forma — in illam conveniens amplitudinem.

fendendam dicit Spartanos virilem animum ac fortitudinem excoluisse neque quidquam magis vitasse quam ne effeminarentur; et profecto disciplinam Lycurgi viris sc. Lacedaemoniis maxime fuisse idoneam satis testatur historia. An vero eadem disciplina Atheniensibus apta esse potuit? Immo viris a Lacedaemoniis natura et indole, moribus ac studiis plane diversis illa disciplina minus conveniens, ne dicam inepta esse debebat. Deinde Lycurgi leges non modo ad viros, sed etiam ad mulieres spectasse Plutarchus vit. Lyc. c. 14 sqq. nobis tradit. Itaque quam non sit aptum illud „viris" videre licet. Circumspicienda igitur est alia emendandi ratio. Ac mihi quidem mutatione a codicis scriptura non nimis recedenti locus restitui posse videtur, si pro VIRIS scribatur SVIS. Quod si fit, sententia eruitur haec: disciplinam Lycurgi non tantum ad viros, sed ad omnes cives pertinuisse et Lacedaemoniis fuisse convenientissimam. Inde patet Lycurgum a Vellejo laudari ob singularem prudentiam, qua leges naturae atque ingenio Lacedaemoniorum accommodaverit.

I, 12, 2.

I, 12, 2 Burer. et sub idem tempus, magis quia volebant Romani quicquid de Carthaginiensibus diceretur credere quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem excidere. Ed. pr. et Amerb. d i c e b a t u r.

Ad verba „quicquid — diceretur" Burerius haec adnotavit: exemplar vetustum habet „diceretur"; b a ab alio quopiam additum videtur, nam non est chirographum veteris exemplaris. Indicativum „dicebatur" quem ed pr. et Amerb. exhibent unice verum esse demonstrare studuit Klotzius in Novis Annall. Phil. et Paed. Vol. XVII fasc. 6 p. 198, cujus emendationem Kritzius in editionem suam recepit. Nescio an aliquam excusationem habeat conjunctivus, quem Haasius probat, si statuis Romanos sibi proposuisse quicquid diceretur

non credere. Cf. Cic. de fin. 2, 14, 43: id sequi volunt quodcunque — videatur; Legg. 2, 5, 13. In Velleji loco autem repetitionis notio esse videtur, ad quam indicandam haud raro conjunctivus ad „quisquis, quicunque" additur.

Venio jam ad alterum, quod puto in his verbis offensioni esse, ad indicativum „afferebantur", quem legibus grammaticis repugnare censeo. Neque enim adduci possum ut credam Vellejum qui ratione grammaticae habita purum scribendi genus sequi soleret hoc loco a vulgari constructione deflexisse. Leges autem grammaticae postulant, ut „magis quia" cum indicativo, „quam quia sive quam quod sive quam quo", quod in altero membro sequi solet, cum conjunctivo conjungatur. Quod verum esse multis exemplis comprobari potest, at tria attulisse satis habeo. Liv. 9, 9 legitur: id isti magis dicunt ne dedantur, quam quia ita se res habeat. Liv. 2, 13: jactatum in condicionibus nequicquam de Tarquiniis in regnum restituendis, magis quia id negare Porsena nequiverat Tarquiniis quam quod negatum iri sibi ab Romanis ignoraret. Cic. ad fam. 16, 6: hanc epistolam scripsi magis quia nactus eram cui darem, quam quo haberem quid scriberem. Eandem vero vim ac „magis quia — quam quia" conjunctiones „non quod (quo) — sed quia" habent, quibus si Vellejus hoc loco usus esset, sine dubio dixisset: non quod credenda afferrentur, sed quia volebant Romani quicquid de Carthaginiensibus diceretur credere etc.

II, 5, 3.

II, 5, 3 ed. pr. et Amerb. habent: tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, cum urbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas praecipiti loco quinque cohortis legionarias eodem protinus subire juberet; facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perse-

verantia ducis quem moriturum miserat militem, victorem recepit. Tantum effecit mixtus timori pudor spesque desperatione quaesita.

Quamquam periculosum est de loco dicere, in quo expediendo summi critici laboraverunt, tamen suspicari cum liceat, quid mihi de hoc loco visum sit proferre non dubitabo. Scribendum enim mihi videtur „non deterritus proposita perseverantia dux". Verba „perseverantia ducis" Davisius ad Cic. Tusc. III, 1, quae cum reliqua oratione non coirent, tamquam manifestum glossema ejicienda censuit, Ruhnkenio assentiente, quem Haasius et ipse secutus est. Sed inde, quod ea verba cum reliquis non consentiunt, concludi minime potest, ea in codice omnino non fuisse scripta. Tuentur autem haec verba et ed. pr. et Amerb. et auctoritas Burerii, qui ad hoc enunciatum nihil adnotat. Kritzius locum sic edidit: „non deterritus proposito „quem moriturum miserat militem, victorem recepit. Tantum effecit perseverantia ducis mixtus" etc. Ac primum quidem quod Kritzius verba „perseverantia ducis" post effecit transposuit, id perverse fecisse mihi videtur. Quid enim iis verbis transpositis ad sententiam proficitur? Neque enim intelligere possum ea emendatione enunciationis quae a verbis, „tantum effecit pers. ducis" incipit vim mirifice augeri, quod iis vocabulis additis primaria victoriae causa contineatur ideoque aptissime a scriptori priore loco ponatur. Cf. ea quae Kritzius in Zimmermanni Annall. studd. antiq. a 1837 Nr. 15 p. 134 exposuit. Atqui Kritzius sibi ipse non constare videtur. Nam cum idem loco modo laudato dicat eandem notionem quae sit in verbis „perseverantia ducis" contineri jam verbis „non deterritus proposito" seque ea re permotum esse, ut vocabula transponeret: nihil est sane quod vocabula per se ipsa supervacanea in enunciato quod proxime sequitur repetantur. Mihi quidem res ita sese habere videtur, ut Vellejus superiore enunciato ducis perseverantiam justo copiosius explicet, posteriore vero enunciato orationis variandae causa, ut assolet, id quod perseverantia illa sit effectum, addat. Metellus enim

qua erat perseverantia militum pudorem excitavit. Quo facto milites, ut verbis scriptoris exquisitioribus utar, spem desperatione quaesiverunt. Adde quod verba „tantum effecit mixtus timori pudor spesque desperatione quaesita" eo quo in ed. pr. leguntur ordine consulto collocata videntur, ut singula singulis responderent. Itaque chiasmus voc. mixtus — quaesita, timori — desperatione, pudor spesque evertitur Kritzii conjectura. Quae si tecum reputaveris, quam vehementer langueat oratio insertis vocabulis „pers. ducis" facile intelliges. At ne quis eo offendat, quod ex mea conjectura verba „non deterritus" cum verbis „proposita perseverantia dux" conjuncta leguntur, hoc monuerim, Vellejum saepissime in re uberius describenda ac depingenda ita versari, ut genio suo atque aetati suae nimis indulgens vocabula idem fere significantia anquirat et cumulet. Cujus rei luculentissima praebent testimonia 2, 113, 2: exercitum majorem quam ut temperari posset neque habilem gubernaculo 2, 125, 4: plurimo igne emicans incendium militaris tumultus; cf. etiam 1, 12, 7; 2, 6, 3; 2, 14, 3; 2, 66, 4. Deinde etiam accedit, quod consuetudo loquendi pro „deterritus proposito" postulare videtur d e t e r r i t u s a p r o p o s i t o. Sed nolo hoc premere, nam vel ea quae antea dixi ejusmodi sunt, ut non videamur in Kritzii conjectura acquiescere debere. Denique rem a Vellejo litteris mandatam Valerius Maximus 7, 4, 5 his commemorat verbis: memorabilis etiam consilii Q. Metellus. Qui cum pro consule bellum in Hispania adversus Celtiberos gereret urbemque Contrebiam, caput ejus gentis, viribus expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consiliis agitatis, viam reperit qua p r o p o s i t u m ad e x i t u m p e r d u c e r e t, quem locum nemo adhuc interpres attulit.

II, 10, 1.

II, 10, 1: prosequamur notam severitatem censorum Cassi Longini Caepionisque, qui abhinc annos centum quinquaginta tris Lepidum Aemilium augurem, quod sex milibus HS. aedis conduxisset, adesse jusserunt.

Ed. pr. et Amerb. exhibent: annos CLVII; Lepidum Aelium; HS. deest. Multis modis hunc locum, quem corruptum esse existimo, emendare conati sunt viri docti, sed nihil adhuc prolatum est, quod ex omni parte satisfaciat. Aliquot errores Rhenani et Amerbachii feliciter a criticis jam correctos esse verbis ut supra scripsi cum iis quae in ed. pr. et lib. Amerb. leguntur comparatis videre licet. Nunc quid de voce notam statuendum sit quaeritur. Atque Haasius quidem notam, quod in ed. pr. et cod. Amerb. legitur, pro glossa vocis severitatem habet, Bothius contrario modo severitatem tamquam praecedentis vocis interpretationem expellendam censet. Praeter ceteras autem conjecturas duae dignae sunt quae commemorentur, altera Ruhnkenii, altera Krausii, quamquam ne hae quidem carent offensione. Ruhnkenius enim conjecit legendum esse: prosequamur notam severam censorum atque conjecturam confirmari dicit a Valerio Maximo 8, 1, 7 eandem fere rem narranti: admodum severae notae et illud populi judicium, cum M. Aemilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime exstructae villae in Alsiensi agro gravi multa affecit. Quae quamquam per se ipsa rectissima sunt, tamen vocem severitatem ed. pr. et Amerb. tuentur, quare in hac voce nihil mutandum est. Paulo minus a codicis lectione recedit Krausii conjectura, qui scribi vult: notae severitatem censorum. Et Kritzio quidem Krausius locum ea ratione persanasse videtur. Sed ne in hac quidem conjectura acquieverim, quia duorum genitivorum conjunctio est durior. His igitur virorum doctorum sententiis expositis restat ut dicam quid ipse sentiam de hoc loco. Ac mihi scribendum esse videtur: prosequamur

gratam severitatem censorum etc. Quoniam enim ex verbis quae sequuntur: „at nunc si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur: adeo mature a rectis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur“ satis elucet Vellejum severitatem illam notae censoriae probare integritatemque morum priscam suae ipsius aetatis luxuriae scite opponere, quin adjectivum a scriptore additum sit ad illam severitatem vel probandam vel laude efferendam, nihil dubito.

II, 14, 3.

II, 14, 3 Bur. et Amerb.: cum aedificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statili Sisennae est, promitteretque ei architectus ita se eam aedificaturum, ut libera a conspectu immunisque ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere posset: tu vero, inquit, ita compone domum meam, ut quicquid agam ab omnibus perspici possit.

Primum hoc loco in ed. pr. manifesto Rhenani errore pro domum legitur templum, deinde hominibus pro arbitris, tum pro praesenti possit, quod Rhen. et Amerb. in apodosi scribunt, jam a Millero imperfectum posset recte repositum est. Denique verba, „neque quisquam in eam despicere posset“ tamquam e glossemate orta Ruhnkenius, Krausius, Cludius, Kreyssigius ejecerunt. Ed. pr. et Amerb. exhibent haec verba. Hoc non puto viros illos doctos ignorasse, sed alia causa fuit, cur in his verbis haererent. Illa enim verba esse supervacanea additamenta, quippe quibus eadem res atque verbis praecedentibus contineretur. Sed tamen vulgata lectio ab Haasio jam probata recte habere mihi videtur. Namque Vellejus haec adjicit, ut notio despiciendi majore vi efferatur, neque repetit eam notionem quae in ipsis verbis „libera a conspectu“ inest, sed ejus loco aliam et graviorem quidem ponit.

II, 16, 3.

II, 16, 3 ed. pr. habet: cujus ille pietati plenam populus romanus gratiam retulit ipsum viritim civitate donando.

Hic primum pro ille legendum esse illi codice Amerbachiano docemur. Deinde quaeritur quid sit illud viritim, de quo v. Momms. Inscript. latt. p. 88 sqq.; Cato apud Fest 378: viritim, inquit, dari dicitur, quod datur per singulos viros; praeda viritim divisa. Apud Cic. Brut. 14, 57 legitur: de agro viritim dividendo. Atque haec est primaria ejus vocis significatio, quae apud optimos scriptores est usitatissima. Sed Seneca et Tacitus vocem viritim haud raro ita adhibent, ut sit idem quod singulatim sive peculiariter. Velut Senec. benef. 7, 7 scribit: ex his quae viritim ei serviunt; cf. Sen. quaest. nat. 5, 7. Tac. ann. 3, 43[1]; 11, 24, 2. Quam eandem vim nostro loco in voce viritim inesse Kritzius existimat. Quod mihi quidem non verisimile videtur. Vellejus enim iis utitur verbis quae Augusti tempora sane redoleant. Atqui vox viritim ea quam supra explicavimus significatione a scriptoribus posterioris tantum temporis usurpatur. Huc accedit quod hoc uno loco Vellejani libri viritim reperitur, cum Seneca, Plinius, Tacitus, alii hac voce saepe utantur. Quibus de causis legendum conjicimus: cujus illi pietati plenam populus romanus gratiam retulit ipsum merita civitate donando. Et vix est quod dicam MERITA facillime depravari potuisse in VIRITIM. Sin offendas in participio merita, conferas velim talia quale illud est Vell. 2, 11, 2: et meritum ei virtute utique cognomen Numidici inditum, et 2, 15, 3: qui meritum cognomen Pii consecutus erat; 2, 23, 2; 2, 54, 1.

---

1) Tac. ann. 3, 43 Nipperdejus VD. explicat „viritim" voce „privatim" quae explicatio in Velleji locum non cadit.

II, 20, 5.

II, 20, 5 ed. pr. opus erat partibus auctoritate; gratia cujus augendae C. Marium cum filio de exilio revocavit. Amerb. qui nullam habet interpunctionem falso scripsit augenda.

Falsam ed. pr. interpunctionem Ruhnkenius primus ita correxit, ut partibus tertio casu sit intelligendum. Pro genitivis „cujus augendae“ non dubito quin „cui augendae“ impugnante Kritzio scribendum sit, quod nunc etiam Haasio probatur. Et recte quidem. Nam exempla quae Kritzius ad vulgatam lectionem defendendam attulit, nihil probant, quia in iis gerundivi genitivus aut ex substantivo aliquo aut ex verbo esse pendet. Cf. Sall. orat. Phil. 2 exercitum opprimundae libertatis habet, 6: cum privata arma opprimundae libertatis cepisset, ubi genitivi ex substantivis pendentes vere pro genitivis qualitatis habendi sunt. Verbum „esse“ cum gerundivi genitivo junctum non modo apud Sallustium, sed etiam apud Ciceronem hisce reperitur locis: Sall. Cat. 6 regium imperium initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat. 46, 3. Liv. 5, 3; Cic. in Verr. II, 53, 132. Cf. Zumpt. gramm. §. 662. Weissenb. §. 327 A. 3. Madvig. gr. §. 417 adn. 4, 5. Neque vero credibile est Vellejum, cujus in scriptis non alia ejus rei vestigia reperiuntur, posuisse genitivum Graecorum more, quem Tacitum secutum esse manifesto apparet Ann. II, 59: Germanicus in Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis.

Vellej. II, 23, 6.

Vellej. II, 23, 6 ed. pr. et Amerb.: transgressus deinde in Asiam Sulla parentem ante omnia supplicemque Mithridatem invenit.

In verbis „parentem ante omnia“ quin mendum lateat minime mihi videtur dubitari posse. Quod Ruhnkenius

correxit pro ante, quod ed. pr. et Amerb. exhibent, scribens ad, id et durum est neque ad consuetudinem loquendi accommodatum. Quis enim dicat „parere ad omnia", ut id sit „parere respectu omnium rerum", uti Kritzius interpretatur? Debebat saltem dici „in omnibus". Quod incommodum ne Acidalii quidem conjectura tollitur, qui conjecit, „parentem in omnia". Mihi facillima mutatione scribendum videtur paratum ad omnia. Totius autem enunciati sententia est haec: Sulla Mithridatem supplicem paratumque ad omnia quae imperarentur facienda invenit, quod idem fere est atque Mithridatem sese dedidisse Sullae.

II, 26, 3.

II, 26, 3 Amerb. habet: non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiae filia, uxor Antisti, quae jugulato, ut praediximus viro, gladio se ipsa transfixit. Quantum hujus gloriae famaeque accessit! Nunc virtute eminet, patria latet. In ed. pr. est „se ipsam".

Haec verba alii aliter emendare conati sunt neque defuerunt qui de hoc loco restituendo plane desperarent. In quo numero habendus est Ruhnkenius, vir ille mentis sagacitate insignis, qui de his vulgatae verbis: facilius est, inquit, aliorum de hoc loco conjecturas convellere quam quid Vellejus scripserit reperire. Quare cum valde verendum sit, ne modicae et exiguae vires meae huic loco sive emendando sive interpretando pares non videantur, tamen id quod ipse inveni proferre non dubito. Mihi enim omnia sana videntur, modo recte explicentur, nec quidquam aliud faciendum est, nisi ut paterna pro „patria" et pro „latet" scribatur latent. Quae emendatio videbitur lenissima, si consideraveris n litteram in libris manuscriptis lineola supra scripta indicari solere ideoque saepe omitti. Hoc igitur dicit Vellejus, Calpurniam egregio facinore non modo sibi et marito gloriam peperisse nunquam

interituram, sed etiam id effecisse, ut virtute filiae patris ignominia obliteraretur. Quae ignominia qualis fuerit, ex Sallust. b. Jug. 1, 27 sqq. satis intelligitur. Namque L. Calpurnius Bestia ad bellum contra Jugurtham missus, mox pecunia corruptus regi pacem flagitiosam injussu senatus concessit. Vellejus quidem ubi bellum Jugurthinum describit factum Calpurnii Bestiae ignominiosum non commemorat, sed haec res non impedit, quominus extrema illa verba „nunc virtute eminet, paterna latent“ ita accipienda sint, ut ignominiam patris ob filiae virtutem in oblivionem venisse significent. Et profecto scriptor his verbis rem attingere poterat omnibus notissimam. Quamquam autem negari nequit enunciatum illud esse obscurius, tamen hujus rei causa non est inde repetenda, quod verba ipsa corrupta nobis tradita sint, sed culpa potius assignanda est ipsi Vellejo qui dum more suo argutiis et quaesita sententiarum oppositione utitur, ipsam sententiam effert impeditius orationemque reddit obscuriorem. Cf. Kritzii Prolegg. c. II, p. L sqq.

II, 32, 4.

II, 32, 4 ed. pr. habet: at Cn. Pompejus multis et praeclaris viris in id bellum assumtis descriptoque in omnes recessus maris praesidio navium, brevi inexsuperabili manu terrarum orbem liberavit praedonesque per multa a multis locis victos circa Ciliciam classe aggressus fudit ac fugavit.

Haec depravata esse manifestum est. Ac prius quidem mendum, quod cernitur in voce „manu“, sustulit jam Herelius, qui legendum esse „inexsuperabili malo“ ingeniose suspicatus est, quod Huthio quoque probatum accepit Orellius. Vulgatam lectionem Kritzius sine idonea causa defendit. Quae sequuntur verba „permulta a multis locis“ minus facilia sunt emendatu, ideoque varie sollicitaverunt viros doctos. Burerius igitur, quem Kritzius et Haasius sequuntur, legi vult

per multa ac multis locis; sed quid sit per multa aliquem vincere me non assequi fateor. Num „per multa" significare potest multis consiliis et apparatibus, uti Kritzius interpretatur? Editor Basileensis quem omnes a Manutio usque ad Burmannum secuti sunt, scripsit „per multa proelia multis locis", quod nec latinum est neque codicis scripturae si litteras comparamus simile. Krausius signis asteriseis notavit post verba „per multa" vocabulum aliquod intercidisse. Sed quodnam quaeso elapsum credamus? Minima medela adhibita locus sanatus erit, si leges PERMVLTIS IAM ALTI LOCIS pro PER MVLTA A MVLTIS LOCIS. Depravatum scripturam ita ortam esse puto, ut littera M vocis IAM sequenti ALTI adhaeserit, MALTI vero, quod inde natum est, librarius ut manifesto vitiosum in MVLTIS mutaverit.

II, 33, 1.

II, 33, 1 ed. pr. bello paene invictus pecuniae expellebatur cupidine.

Loquitur Vellejus de Lucullo, quem bello quidem paene invictum, sed pecuniae cupidine, ut Kritzii verbis utar, tanquam a validiore hoste subactum dicit. Sed neque „expellebatur" neque „pellebatur", quod Amerb. praebet quodque ab Haasio et Kritzio receptum est in textum, ad id quod hic requiritur significandum satis idoneum duco. Itaque scripserim „proterebatur". Vellejus proterendi vocabulo usus est II. 91, 4: quippe ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere quam sua proteri. Cf. Tac. h. 2, 26: protrita hostium acies; Just. 24, 4, 6.

II, 35, 5.

II, 35, 5 Vellejus de Catilinae morte haec tradit: quippe fortissime dimicans quem spiritum supplicio debuerat reddidit.

Quae in ed. pr. leguntur „supplicio debuerat supplicio reddidit" haud dubie mendosa sunt. Sed in ipso cod. Murb. aliquid turbatum fuisse inde patet, quod Amerbachius cum scripsisset „debuerat supplicio reddidit" signis significavit legendum esse: supplicio debuerat reddidit; in quo veram Kritzius agnoscit scripturam. Mihi in mentem venit Vellejum fortasse scripsisse: quem spiritum supplicio debuerat, Marti reddidit. Cf. Liv. 28, 34: suam quidem et fratris et reliquorum popularium eam conditionem esse, ut aut, si ita videatur, reddant spiritum P. Scipioni, ab eodem illo acceptum, aut servati bis uni debitam vitam pro eo in perpetuum devoveant.

II, 36, 4.

II, 36, 4: neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum. Ita Amerb., ut dudum scripserunt editores; in ed. pr. est Catulum.

Dubium non est, quin Catullus, quem Gellius 7, 20 poetarum appellat elegantissimum, hic magna afficiatur laude. Sed in verbis quibus ea laus continetur certe est aliquid vitiosi. Kritzius quidem Wopkensium secutus sanissimam codicis scripturam existimat et verba sic construit „neque ullo in carmine suspecti operis sui", tamen quod dicit suspectum hoc loco significare admirandum vel summi[1]) aestimatum id falsum esse censeo. Hanc enim vocis vim tritam quidem in verbo finito in participio inesse exemplis probari vix poterit. Quare Lipsius pro suspecti rectissime legit suscepti. Cf. Lactant. 6, 1: quod erat officium suscepti muneris divino spiritu instruente ac suffragante ipsa veritate complevimus, ubi codex Duisburg., cujus variantes penes Ruhnkenium erant, verba sic exhibet: quod erat officium

---

1) Kritzius scripsit summi aestimatum, pro quo sine dubio scribendum est maximi aestimatum.

suscepti operis et muneris. Atque ut ad illa verba veniam quae supra posui non intelligo, quid sit suscepti operis carmen. Equidem certum puto quod etiam aliis visum est verba illa quemadmodum in ed. pr. et cod. Amerb. exhibentur corrupta esse. Sed conjecturis quae adhuc propositae sunt veram scripturam nondum restitutam arbitror. Ex aliqua parte locus sanatus est sagacissimi Marklandi conjectura, qui epist. critic. p. 12 scribi vult „in suscepti operis sui formâ.“ Qua conjectura Marklandi nihil melius invenit Ruhnkenius, qui Marklandum ita sequitur, ut sui praetereâ deleat. Neque vero tantum formam Catullianorum carminum admiramur, sed sententiarum dulcedine capimur. Hoc invento facilis jam emendatio est et lenissima mutatione perficitur. Lege igitur: neque ullo in suscepti operis vi ac forma minorem Catullum, quod litteris praesertim uncialibus scriptum OPERIS VI AC FORMA et in tanta „carminum“ vocis vicinitate facillime depravari potuit in hunc modum: OPERIS SVI CARMINE. De verborum „vi ac forma“ structura cf. Varr. r. rust. 3, 2 extr. sed oro te, inquit, induce me in viam disciplinae villaticae pastionis ac vim formamque ejus expone.

II, 37, 1.

II, 37, 1 ed. pr. habet: dum haec in urbe Italiaque geruntur, Cn. Pompejus memorabile adversus Mithridaten, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus viris reparaverat, bellum gessit. Ac rex fusus fugatusque — Armeniam Tigranenque socium petit.

Pro ac in cod. Amerb. legitur at, quod exemplar vetus habuisse Burerius docet. Quoties sane in scriptoribus antiquis castigandis interpretes in particulis ac et at discernendis sese torserint dici vix potest. Mihi vero loci quem hic agito rationem consideranti aptior apparet particula ac quam at.

Ipsae enim particulae ac et atque sua vi, qua antecedentibus aliquid majus graviusve adjungunt, idoneae sunt ad membra adversativa conjungenda. Cf. Cic. Tusc. 3, 13, 28; 4, 31, 36; 34, 71; 5, 21, 62. Reperies haec aliaque eodem spectantia exposita ab Handio in Tursellin. I, p. 484 sqq. Eodem modo II, 125, 5, ubi in ed. pr. legitur ac Hispanias, in cod. Amerb. at Hisp. cum Ruhnkenio scribendum est atque. Ad enim quod Burerius dedit, ex atq. natum videtur.

II, 38, 3.

II, 38, 3 Amerb. immane bellicae civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertio Augusto principe certae pacis argumentum Janus geminus clausus dedit. Pro tertio in ed. pr. legitur III.

Collato monum. Ancyr. 2, 5 p. XL. ed. Momms., ubi ex ejus restitutione sic legitur: Janum Quirinum, quem clausum esse majores nostri voluerunt, cum per totum imperium populi Romani esset terrestris navalisque pax, cum priusquam nascerer, ab urbe condita bis omnino clausum fuisse prodatur memoriae, ter me principe senatus claudendum esse censuit, et Suetonio Aug. c. 22, qui illo nititur: Janum Quirinum semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clausit: hoc Velleji loco pro „tertio“, quod in omnibus editionibus est, scripserim „ter“. Quo reposito hoc assequemur, ut Vellejus et historiae fidei inserviat et appositione quam fere captat sententiarum arguta utatur. Haec igitur erit Velleji sententia: Janus geminus intra CCXXXV annos bis tantum clausus argumentum bellicae civitatis, certae pacis Janus Augusto regnante i. e. intra XLV annos ter clausus dedit.

II, 42, 1; 3.

II, 42, 1 ed. pr. et Amerb.: longum est narrare, quid et quotiens ausus sit, quanto opere conata ejus qui obtinebat Asiam magistratus populi romani motu suo destituere.

Haec verba Velleji corrupta esse cum facile intelligerent omnes viri docti, alii alio modo ea emendare conati sunt. Fuerunt qui aut „destituerit", ut Rhenanus, aut „obtinebant" scribendum censerent, fuerunt etiam qui „obtinebant" et praeterea „metu" pro „motu" scriptum statuerent, ut Lipsius, Vossius. Idque placuit etiam Ruhnkenio, qui tamen aliquot verba quibus quid Caesar ausus esset exprimeretur excidisse suspicatur. Atque de ea re cum Ruhnkenio consentit etiam Krausius. Ipse autem putat verba „quid et quotiens ausus sit" spectare ad Caesaris ausa ex captivitate piratarum aufugiendi vel se liberandi. Ego hanc non magis amplecti possum sententiam quam Huthii, qui in quaest. critic. p. 19 longius a codicis scriptura recedendum et „quamque ob rem — mora sua destituere" pro quanto opere etc. ponendum judicavit. Denique Kritzius se hunc locum sola interpunctione et interpretatione expedivisse confidit, scribendo: longum est narrare, quid et quotiens ausus sit. Quanto opere conata ejus qui obtinebat Asiam magistratus populi romani motu suo destituerit, illud referatur documentum tanti mox evasuri viri": Quae conjectura quominus nobis probetur, duo obstant, alterum, quod vox „ausus sit" infinitivo ex se pendenti caret, quem loquendi consuetudo postulare videtur, alterum, quod verba „documentum — viri" plane supervacanea sunt, quoniam satis erat dixisse: quanto opere conata ejus — destituerit, illud referatur. Neque vero tantum de singulis verbis, sed etiam de subjecto totius enunciati magna est virorum doctorum dissensio. Alii enim Caesaris conata a magistratu vel a magistratibus Asiam obtinentibus destituta significari putant, alii iis quae proxime sequuntur adducti destituta esse a Caesare vel metu suo quem ipse injiceret, vel motu suo et impulsu conata ma-

gistratus intelligunt. Quae posterior ratio cur longe praeferenda sit, in promptu est. Generalis enim, ut ita dicam, sententia, quae verbis Vellejanis II, c. 41—42 continetur, est haec: Caesar adhuc adolescens tanta jam et ingenii et virtutis specimina edidit, ex quibus quantus mox evasurus esset vir jure concludi potuerit. Hanc igitur sententiam Vellejus per singula ita persequitur, ut solet, ut Caesarem primum apud piratas commorantem faciat, deinde quomodo ille proconsulis consilia irrita fecerit exponat. Cum vero Caesar et in enunciato quod paulo ante legitur et in eo, quod statim nostrum locum sequitur, subjecti partes agat, ut Caesari easdem nostro quoque loco tribuamus partes, recta ratio postulat. Legendum igitur censeo: longum est narrare, qui et quotiens ausus sit tanto opere conata ejus qui obtinebat Asiam magistratus populi romani motu suo destituere. Quae verba patrio sermone vertenda sunt: es wäre zu weitläufig, zu erzählen, in welcher Weise und wie oft er (Cäsar) gewagt hat, so angelegentlich die Unternehmungen des römischen Beamten, der Asien verwaltete, zu vereiteln, indem er auf eigene Hand verfuhr. Ita locus antea paene desperatus nihil difficultatis habere videtur. Junci enim proconsulis conata cum aliis rebus tum piratis non venditis, sed necatis sua solum auctoritate usus irrita fecit Caesar.

At forsitan quispiam dixerit: nonne haec a te disputata sunt contra mentem scriptoris, quippe qui laudare hoc loco Caesarem, non reprehendere vellet? Minime vero. Non enim reprehenditur Caesar, sed laudatur ejus incredibilis, ut Kritzii verbis utar, agendi ἐνέργεια, quam Vellejus illustri aliquo exemplo declarandam sibi proposuit. Quae qualis fuerit, ex verbis quae proxime sequuntur „illud referatur documentum — suffixit cruci“ satis cognoscitur.

Sed idem caput aliis etiam mendis laborat, ad quae corrigenda nunc transeamus. Infra enim p. 8 sqq. haec leguntur in ed. pr. et libro Amerbachiano: laetusque nocturnae expeditionis triumpho ad suos reversus est, mandatisque custodiae

quos ceperat in Bithyniam perrexit ad proconsulem Junium, cum idem enim Asiam eam quam obtinebat, petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii; quod cum ille se facturum negasset venditurumque captivos dixisset (quippe sequebatur invidia inertiam) incredibili celeritate revectus ad mare priusquam de ea re ulli proconsulis redderentur epistolae, omnis quos ceperat, suffixit cruci. Hic primum Juncum pro Junium legendum esse docuit Nipperdejus VD. in Philol. VI. 1851 pag. 377 [1]) testibus usus de Junci nomine Plutarcho Caes. c. 2. et Gellio V, 13. Deinde verba aperte corrupta „cum idem enim Asiam eam quam obtinebat" omnium criticorum graviter exercuerunt ingenia. Quid conjectaverint viri docti, apud Kritzium vide. Ne multis, legendum suspicor: qui quidem eminus Asiam tamquam obtinebat. Sententia autem est haec: Juncus Pergamo vel Epheso relicta, quae consueta sedes proconsulum Asiae fuit, in Bithynia versabatur, cujus heredem populum romanum Nicomedes, Bithyniae rex, jam dudum designaverat. Itaque Juncus, cum in Bithynia commoraretur, eminus Asiam provinciam suam obtinebat. Denique „tanquam" verbo obtinebat additum est, quia hoc proprie dicitur de magistratibus, qui in provincia administranda adsunt. Hac igitur emendatione et sententiam aptam assequemur et vulgatam lectionem quomodo orta sit minus mirabimur. Nam prava litterarum disjunctione et conjunctione plurima in codice Murb.

---

1) Plut. Caes. 2 antiquissimi et optimi codices exhibent: *καὶ τὰ μὲν χρήματα λείαν ἐποιήσατο, τοὺς δ'ἄνδρας ἐν Περγάμῳ καταθέμενος εἰς τὸ δεσμωτήριον, αὐτὸς ἐπορεύθη πρὸς τὸν διέποντα τὴν Ἀσίαν Ἰούγκον, ὡς ἐκείνῳ προςῆκον ὄντι στρατηγῷ κολάσαι τοὺς ἑαλωκότας.*

Gell. V, 13 in optimis codicibus legitur: vel pro hospitio regis Nicomedis vel pro horum necessitate, quorum res agitur, defugere hoc munus, M. vince, non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam a propinquis nostris opem ferre instituimus. Nipperdejus VD. edit. Caes. p. 751, 6 scripsit Junce pro Vince, quod ad hanc scripturam ipsius codicis vestigia haud ambigue ducerent.

corrupta sunt, quod cum ex editione principe jam satis constaret tum magis etiam ex libro Amerbachiano apparet. Itaque hoc loco QVOM IDEM natum est ex litteris QVI QVIDEM et syllabam postremam in voce EMINVS subsequens syllaba AS absorbuit, TAMQVAM autem facillime abiit in EAM QVAM.

In iis quae sequuntur verba „quippe sequebatur invidia inertiam", mendosa esse puto. Atque unum quidem mendum sustulit Oudendorpius eo, quod „avaritia inertiam" conjecit. Nondum tamen ex omni parte locus sanatus est; nam vocem „inertiam" non puto hoc loco ferri posse. Quae est enim causa, cur Junco inertia detur opprobrio? Kritzius quidem dicit inertiam cerni in tarditate qua rem distulerit, at rem i. e. supplicium non distulit, sed de captivis id se sumpturum esse negavit, quia auri amore captus eos venditurus erat. Quare sic legendum mihi videtur: „quippe sequebatur invidiam avaritia". Invidia autem, ut Kritzius recte dicit, in eo apparebat, quod Caesaris fortitudinem ac felicitatem aegre ferens ejus voluntati adversabatur. Restat igitur, ut doceam quomodo vox inertia ex „avaritia" oriri potuerit. Litteram m vocis invidiam librarius habuit pro in, quod sexcenties fit in codicibus, avaritia autem cum more illius temporis sic scriptum esset „$\overset{\text{va}}{\text{aritia}}$" librarium fefellit, qui omissis iis quae superscripta erant, litteras aritia tantum vidit, unde facillime oriri poterat ertia, quod adjuncta ut supra diximus praepositione in abiit in vocem „inertia".

II, 52, 4.

II, 52, 4 ed. pr. et Amerb.: ut primum inclinatam vidit Pompejanorum aciem, neque prius neque antiquius quidquam habuit quam in omnes partes (ut militari et verbo et consuetudine utar) dimittere.

Haec verba non solum sententia prorsus carent, sed ne

emendataque quidem leniter ac modeste ad probabilitatem perduci potuerunt. Particulam ut, quam necessariam esse puto, feliciter primus restituit editor Basil. Nam cum formula „nihil habere antiquius[1]", ut Kritzius recte dicit, significet nulli rei magis animum intendere, ubi verbum sequitur deesse nequit ut particula. Verbum autem militare quod et quale sit nemodum criticus satis expedivit. Atque ante omnia rejicienda mihi videtur eorum sententia, qui in vulgari locutione, ut Kritzius, in omnes partes dimittere militare verbum quaerunt. Schefferus Misc. Observ. v. VIII p. 460 cum eoque Burmannus, Ruhnkenius, Krausius excidisse id putant. Qua in re cum iis consentio. Neque tamen in verbis „praecones clamantes parce civibus", quae Ruhnkenio ex Appian. civ. 2, 80. Suet. Caes. 75. Flor. 4, 2, 20 inserenda esse videntur, militare verbum deprehenderim. Tale potius est caduceatores dimittere. Cf. Liv. 33, 11: caduceator eo regius venit, specie ut induciae essent, donec tollerentur ad sepulturam, qui in acie cecidissent. Liv. 26, 17; 31, 38; 37, 45; 44, 46; Curt. 3, 1, 6, 4, 2, 15; Petron. sat. 108. Hinc legendum duco: ut primum inclinatam vidit Pompejanorum aciem neque prius neque antiquius quidquam habuit quam ut in omnes partes, ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret caduceatores.

II, 59, 6.

II, 59, 6: cui adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia, et cum intraret urbem solis orbis super caput ejus curvatus aequaliter rotundatusque in colorem

---

1) Perverse judicat Fittbogenius, qui ad Just. 39, 3, 5 haec annotavit: antiquior ist soviel als prior, potior, daher die bekannte Redensart: nihil antiquius habere quam mit folgendem ut oder Infinitiv, nichts für wichtiger halten als d. h. vor allen Dingen etwas thun. Cf. Zumpt. gramm. 614, a. „Potius quam" sequente infinitivo non rarum est, et „longe antiquissimum" cum infinitivo conjungi notum est, v. Drakenb. ad Liv. 1, 32, 2.

arcus velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est. Ita hic locus vulgo scribitur neque ulla est in codice Amerb. et ed. pr. quae quidem alicujus momenti sit varietas, sed in verbis „solis orbis — in colorem arcus" aliquid vitii inesse facile apparet. Neque tamen offendo in verbis solis orbis, pro quibus Haasius voce urbem deleta scribendum esse conjecit circa orbem solis orbis. Haec enim verba cum Kritzio sana esse contendo, quamvis illam structuram, ex qua solis orbis sit orbis sive circulus circum solem, minus esse usitatam lubenter concedam. Mendum latere mihi videtur in vocabulo rotundatusque, quod aptam non praebet sententiam nec si ad verba quae antecedunt referas, nec si cum iis quae statim sequuntur conjungas. Quid tandem significari verbis „rotundatusque in colorem arcus" putabimus? Num quis unquam dixit rotundari in colorem rei? Fuerunt sane qui in his verbis haererent et difficultates removere studerent, quorum alius aliud tentavit neque id in quo cardo rei vertitur vidit. Ac Kreyssigius quidem conjecit rotundatusque in coloreum arcum. Sed cum constet hoc loco de arcu coelesti agi quid intersit inter in coloreum arcum et inter in colorem arcus intelligere nequeo. Orellius vero praepositione in deleta singula verba sic construit: orbis solis — conspectus est imponens colorem arcus capiti etc. Quae ratio praeterquam quod valde dura est etiam propterea rejicienda est, quod Orellius in verba Velleji intulit, quod nullo modo in iis inest. Aliorum conjecturas quae partim audaciores sunt praetereo. Mihi legendum videtur RADIATVSQVE in colorem arcus. Est autem radiatus in colorem arcus idem quod virgis diversi coloris fulgens, quales in arcu coelesti juxta se conspiciuntur. Totius autem loci sententiam illustrat Seneca N. Q. 1, 2: memoriae proditum est, quo die divus Augustus urbem, ex Apollonia reversus, intravit, circa solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet. Denique cf. Cic. de div. 1, 22, 1, ubi Accius dicit: visum est in somnis — in

coelo contueri maximum ac mirificum facinus, dextrorsum orbem flammeum radiatum solis liquier cursu novo; Suet. v. Aug. 94, 9: atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem cum fulmine et sceptro exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum. Hand. Turs. III, 325.

Vell. II, 61, 3.

Vell. II, 61, 3 ed. pr. et Amerb. eum senatus honoratum equestri statua, quae hodieque in rostris posita aetatem ejus scriptura indicat — pro P. R. una cum consulibus designatis Hirtio et Pansa bellum cum Antonio gerere jussit.

Quod sexcenties fit, ut in antiquis codicibus compendia P. R. i. e. populus romanus et PR i. e. praetor permutentur, hoc quoque loco factum videmus. Itaque assentimur Kritzio qui testibus usus Cicerone Phil. V, 16, 45 et Suetonio v. Aug. c. 10. praceunte Sigonio pro praetore scripsit. His duobus locis a Kritzio laudatis addere me juvat tertium ex Appian. b. c. III c. 48 desumptum: *τῷ Καίσαρι δ' ὁ στρατὸς πελέκεάς τε καὶ ῥαβδοφόρους ἐσκευασμένους προςαγαγόντες ἠξίουν ἑαυτὸν ἀντιστράτηγον ἀποφῆναι.* Quod vero Vellejus Hirtium et Pansam consules designatos vocat in eo errare mihi videtur. Conferamus Suetonium, qui v. Aug. c. 10, 8 haec narrat: Jussusque comparato exercitui pro praetore praeesse et cum Hirtio ac Pansa qui consulatum acceperant D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus proeliis. Non erant igitur designati consules A. Hirtius et C. Vibius Pansa, sed consulatum jam inierant iisdem Calendis Januariis quibus decretum est, ut cum Hirtio et Pansa pari imperio iis quas tum habebat copiis praeesset C. Octavius. V. Mon. Ancyr., quod nuperrime Th. Mommsenus edidit, p. LXVIII c. 1, 6—7: respublica n [e quid accideret, a senatu mihi] pro praetore simul cum consulibus [t] r [adita est

tuenda] et App. b. c. III, c. 51: *ἐψηφίσαντο..... τοῖς ὑπάτοις Ἱρτίῳ καὶ Πάνσᾳ Καίσαρα συστρατηγεῖν οὗ νῦν ἔχει στρατοῦ*, et Pigh. Ann. III. p. 471. At si respexerimus Vellejum id quod saepenumero ipse professus est[1]) festinanter scripsisse, hunc errorem non minus facile excusabimus quam eum qui deprehenditur II, 61, 1, ubi haec leguntur: torpebat oppressa dominatione Antonii civitas —, cum C. Caesar undevicesimum annum ingressus — privato consilio majorem senatu pro republica animum habuit primumque a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit paternos. Collato monument. Ancyr. p. LXVIII. c. 1, 1—2.: annos undeviginti natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavi, „quem locum Vellejus in mente habuisse videtur, apparet non recte eum accepisse quod scribit Augustus ea se fecisse undeviginti annos natum," ut Mommsenus p. 5. comment. in res g. d. Aug. monet.

Denique cum eo quod Vellejus II, 61 p. 4 extr. tradit: consulum alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit, aptissime comparare possumus illud Suetonii v. Aug. c. 11, 1: hoc bello cum Hirtius in acie, Pansa paullo post ex vulnere periissent, rumor increbruit ambos opera ejus occisos.

II, 64, 2.

II, 64, 2 praeclarum Velleji de Bruto Caesaris interfectore judicium his verbis continetur in ed. pr.: censebatque aequum quae acceperat a Caesare retinere, Caesarem, qui illa dederat, peris. Haec sunt tempora etc.

Ad hujus loci veram scripturam ipsius editionis principis et libri Amerbachiani, qui exhibet „peristhaec" vestigia ducunt. Scribendum est: perisse. Haec. Aptissime enim con-

1) I, 16, 1; II, 41, 1; II, 108, 2; II, 124, 1.

ferre possumus cum hoc loco illud Taciti hist. 1, 15: si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Cnaei Pompeji et M. Crassi subolem in penates meos adsciscere et tibi insigne Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adjecisse. Cf. etiam Tac. agr. 33; Senec. epist. 5, 2. Sunt qui perire scribendum censeant. Sed infinitivus perfecti quam recte hoc loco ponatur, statim demonstrabo. Apud bonae aetatis scriptores prosae orationis perfectum infinitivi semper significat actionem finitam, sed saepenumero post ea verba, quae infinitivum adsciscunt, ita ponitur, ut si ipsam rem consideres, perfectum an praesens infinitivi adhibeatur nihil referat. Cf. Nep. Eum. 9, 2. Liv. 37, 19: possumus perfecisse. Plaut. Aulul. 5, 5, 19: non potes probasse has nugas. Omnino ea verba locutionesque perfectum infinitivi admittunt, quibus judicium universum continetur. Attamen res quae significatur ejusmodi esse debet, ut de actione perfecta cogitari queat. Cf. Liv. 2, 24, 5: nec posse, cum hostes prope ad portas essent, bello praeverti sese quicquam, nec si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse, nisi mercede prius accepta, arma pro patria non cepisse, neque patribus satis decorum per metum potius quam postmodo voluntate adflictis civium suorum fortunis consuluisse. Sic etiam post verba cupiendi, expetendi etc. ponitur perfectum infinitivi, velut Liv. 40, 10: perisse expetunt. Liv. 22, 59, 10; 42, 11. Sall. Jug. 31, 27: ut malitis civis nostros perperam quam recte fecisse. Plin. h. n. 10, 28, 6. Eodem modo propter significationis naturam etiam post praesens ponitur perfectum infinitivi in aliis verbis, velut satis est, satis habeo, contentus sum. Vell. 2, 103: contenti simus id unum dixisse, 2, 112, 6: sustinuisse contenti; parum habeo Vell. 2, 76, 4: parum habebat summa accepisse, operae pretium est, honestum est Liv. 2, 45, 5, egregium est alicui Tac. h. 1, 15, in aliis (non pigebit, poenitebit, pudebit, juvabit, melius erit) tantum post futurum de promisso eventu rei futurae, quod Madvigius gr. l. §. 407, opusc. acad. vol. II p. 120 sqq.

exposuit. Quamvis igitur perfectum infinitivi, quod tot optimorum scriptorum locis post illa verba positum reperimus, nobis insolens atque inusitatum videatur, tamen minime significationem praeteriti temporis amittit. Nequaquam vero hic perfecti infinitivus pro aoristo habendus est, ut Wexius ad Tac. agr. p. 148, 153 sqq. et Ruhnkenius loco de quo agimus Vellejano censuerunt. Audiamus de ea re Reisigium schol. p. 499 sqq. et Madvigium, qui op. acad. l. l.: hoc dicendi genus, inquit, in quo plane non solum post ea verba, quae videntur aliquam significationem finitae actionis habere ut pudet, juvat (Tibull. 1, 1, 46 juvat audire — et detinuisse, 1, 1, 73; 1, 8, 11) sed post omnia verba, quae infinitivum adsciscunt, perfectum pro praesente ponitur nullo prorsus discrimine — hoc igitur dicendi genus est vere graecum et ab Augusteae demum aetatis poetis frequentatum; in prosam quidem orationem rarissime irrepsit et apud eos demum scriptores, qui jam valde a vetere loquendi castitate desciscunt, ut apud Gellium III, 3: satis potest fidei fecisse, et Justin. V, 4: posuisse cupiunt, et Palladium X, 7: sevisse convenit.

His de infinitivi perfecto praemissis redeamus ad nostrum locum, quem si patrio sermone sic verterimus: er hielt es für billig, das, was Cäsar ihm verliehen, zu behalten, aber Cäsars Untergang, der es ihm gegeben, herbeigeführt zu haben, vel indoli nostri sermonis accommodatius: nachdem Cäsar, der es ihm gegeben, gefallen war, quam conveniens sit significatio finitae actionis videbimus. At Kritzius praesens necessarium putat, quia Vellejus Bruti consilium Caesaris interficiendi respiciat; ad quam sententiam adductus est verbis quae proxime antecedunt: cujus — interfector fuit. Ex iisdem verbis si quid video malim colligere Brutum post Caesaris necem patratam sic judicantem a Vellejo induci. An erat iniquum Brutum Caesare vivo retinere ea, quae ab illo acceperat?

II, 66, 1.

II, 66, 1 scribit Vellejus de Antonio et Lepido, quorum uterque hostes judicati erant: cum ambo mallent sibi nuntiari quid passi essent, quam quid emeruissent, repugnante Caesare sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio.

In hoc loco grammatice omnia conveniunt, omnis autem difficultas in uno vocabulo nuntiari est inclusa, quod ne mutatum quidem rem expediat, ut scripturam veram esse fateri cogamur, scriptorem, quod ita vellet, minus esse dilucide locutum. Verba autem obscuriora: cum ambo mallent sibi nuntiari — emeruissent, sic explicaverim: Antonius et Lepidus, hostes patriae judicati, maluerunt audire ab aliis, qua injuria atque ignominia ipsa damnatione affecti essent, quam quid sceleribus suis emeruissent. Hoc vero meruerunt, ut a senatu hostes patriae judicarentur.

Quemadmodum obscurius hoc loco, ita etiam II, 9, 5 Vellejus consulto scripsisse putandus erit belli civilis Sullanique, ubi conjectura „socialis“ pro civilis non opus est, sed bellum Sullanum cum Raphelengio intelligendum est de bello cum Mithridate gesto.

II, 67, 1.

II, 67, 1: hujus totius temporis fortunam nec deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest.

Hoc loco Amerb. et exempl. ed. pr. Basil. et Hamburg. exhibent „nec-quidem“, quod in exemplari vetusto fuisse Burerius affirmat. Quod ita fuisse quamvis negari non possit, tamen nec-quidem vitiosum est, quia contra constantem veterum scriptorum usum repugnat. Veteres scriptores, ut Madvigius ad Cic. de fin. 2, 8, 25 p. 282 docet, particularum nec-quidem junctura prorsus abstinuerunt, sive eae pro

et ne — quidem accipiuntur, ut nec copulandi vim habeat, sive pro etiam ne — quidem, ut nec gradationem significet. Inest enim in particulis ne-quidem etiam sine ulla gradatione adjungendi vis. Quare miror, quod Haasius nec deflere quidem in textum recepit. Sine dubio cum aliis locis ubi a deterioribus codicibus exhibetur nec — quidem, tum hoc loco ne — quidem scribendum est, quod in nonnullis exemplis ed. pr., ut in Jenensi, ex tacita eademque verissima Rhenani conjectura reperitur. De particularum ne — quidem usu qui plura sciscere cupit ei copiam faciet Madvigius in excursu III. ad fin. 2, 8, 25, p. 816—828, a quo controversiam illam per tot annos celebrem tandem perbene dijudicatam esse existimo.

II, 69, 2.

II, 69, 2 ed. pr.: C. Cassius — inclusum Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat, Laodiceam expugnata ea urbe fecerat. Burer. et Amerb.: Laodicia expugnat ea urbe fecerat.

Genitivum urbis, quem postulat verborum structura, primus Vossius recte restituit. Deinde verbum fecerat mutilatum esse nemo non videt. Ac Rhenanus quidem, qui post vocem urbe aliquid excidisse censet, duas proposuit conjecturas, alteram interfecerat, Haasio probatam, alteram confecerat, quod verbum Krausius et Cludius non probante Kritzio receperunt. Equidem puto VRBE mutandum esse in LABE et cum subsequenti verbo fecerat in unum conferendum, quae emendatio et simplicissima est et ad sententiam aptissima. Ac sane vocem urbe incolumi sententia facile abesse posse apparet coll. II, 94, 4: cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem populi romani, regnum ejus Artavasdi dedit. Qui in vocabulo labefaciendi offendit, is conferat velim Tac. ann. 6, 29: nihil hunc amicitia Sejani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium.

Totum igitur locum sic scribendum et vertendum puto: C. Cassius — inclusum Dolabellam — Laodiceae, expugnata ea, labefecerat, C. Cassius hatte den Dolabella in Laodicea eingeschlossen und nach dessen Eroberung jenes Untergang veranlasst. De re ipsa, quae a Vellejo narratur, cf. Livii epit. l. 121: C. Cassius, cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem judicatum bello persequeretur, auctoritate rei publicae adjutus Syriam cum tribus exercitibus qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit, Dolabellam in urbe Laodicea obsessum mori coegit.

II, 74, 2.

II, 74, 2 ed. pr. et Amerb.: L. Antonius consul, vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui iuste divisione praediorum nominatisque coloniis agros amiserant, ad arma conciens magnum exercitum conflaverat.

Hoc loco vocem „divisione" epitheto aliquo ornatam fuisse ex ipsius codicis Murbac. vestigiis apparet, qui „iuste divisione" exhibet. Quod quomodo sit restituendum viri docti inter se dissentiunt. Alii enim „justa divisione" legunt, alii „injusta" malunt. Quam utramque scripturam falsam esse recte monuit Ruhnkenius. Non ita, inquit, Vellejus frontem perfricuerat, ut hanc praediorum divisionem justam diceret, nec contra injustam dicere., quod Lipsio placebat, Augusti adulatio sivit. Quocirca ipse scribendum censet: „instituta divisione praediorum". Quae conjectura quamvis non ita magna literarum mutatione commendetur, tamen et ipsa habet, quod merito offensioni esse possit. „Desideramus enim, ut Krausii verbis utar, gravitatem Vellejo dignam in hoc epitheto;" quod qui scribendum contendunt verbum languidum et omnino supervacaneum admittunt, quod ne tantillum quidem novi ad sententiam afferat. Quam ob causam Vellejum scri-

psisse suspicor „novissima divisione". Hoc enim modo scriptor divisionem illam praediorum a. u. c. 713 institutam, quae omnium maxime erat insignis, satis tangit neque de ipsa divisione justa an injusta fuerit sententiam fert. Quod vero ad litterarum mutationem attinet, QVINOVISSIMA facile oriri ex depravatis litteris QVIIVSTE nemo erit quin lubenter fateatur.

II, 76, 3.

II, 76, 3 Burer. et Amerb.: praeparatusque contra eum Caesaris habuit belli metum; errore Rhenani in ed. pr. scriptum est: praeparatusque Caesaris contra eum etc. Vocabulum praeparatus cum et per se insolitum sit et de paratu bellico dictum apud nullum scriptorem reperiatur, Kritzius recte suspicatur Vellejum scripsisse apparatusque, quo vocabulo II, 12, 3; II, 82, 1 usus est. Neque tamen indignum videtur, quod commemorem in eandem conjecturam jam Sylburgium incidisse, ut apparet ex ejus adnotationibus ad historiae rom. scriptores latinos minores p. 706.

II, 82, 4.

II, 82, 4 ed. pr. et Amerb.: cothurnisque succinctus. Ruhnkenius pro vulgata lectione scripsit subnixus. Qua in re ejus auctoritatem secuti sunt fere omnes, quorum postea in Velleji libris emendandis versata est industria. Ruhnkenii quidem conjecturam quamvis negari non possit veri quandam speciem prae se ferre, praesertim cum voces succinctus et subnixus inter se mutatas esse ex Tibulli lib. III, 4, 89[1]) appareat, quem locum a Kritzio Ruhnkenianae con-

---

1) Tib. 3, 4, 89: Scyllave virgineam canibus succincta figuram; sic edidit Lachmannus praeeunte Scaligero. In codicibus magna est lectionum

jecturae propugnatore non allatum esse valde miror: sed tamen vulgatam lectionem succinctus hoc loco retinendam esse censeo. Quod ut demonstremus longius repetamus necesse videtur. Ac primum quidem ante omnia quaerendum est, quod genus cothurni hoc loco commemoretur. Illis locis[1]) quos Ruhnkenius ad conjecturam suam stabiliendam laudavit, de tragico cothurno sermonem esse quis est qui non intelligat? Neque vero minus constat tragicos actores cothurnis crassis soleis subereis instructis usos esse ad magnitudinem staturae corporis parandam. Quam ob causam scriptores latini, imprimis poetae, ubi homines tragico cothurno utentes faciunt, plerumque nitendi vocabulum ita adhibent, ut eos cothurno nixos sive subnixos sive innixos dicant. De quo nitendi vocabulo audiamus Doederlinum, qui in libro „Handbuch der lat. Synonymik" inscripto p. 97, 2 haec adnotavit: niti heisst sich stützen, um in die Höhe zu ragen oder weiter zu kommen, meist durch Aufstemmen auf eine Basis. Haec si vere a Doederlino disputata sunt, quae vera esse mihi quidem persuasum est, scriptores latinos, ubi de cothurno tragico res sit, optimo jure verborum structuram sollemnem cothurno niti adhibere luculenter apparet. Aliter res sese habere mihi videtur eo loco, de quo nunc nobis agendum est. Vellejus enim narrat Antonium cum patriae bellum illaturus esset, ante velut Liberum Patrem redimitum hederis coronaque velatum aurea et thyrsum tenentem cothurnisque succinctum curru vectum esse Alexandriae. Cothurno autem instructus inducitur Antonius propterea quod id erat Bacchi insigne et qui Bacchum sive Liberum Patrem imitabantur omnia ejus dei insignia induere solebant. Cf. Cic. Phil. III, 6, ubi Tuditanus

---

varietas. Alii enim submixta, submista, summista, succincta, alii submicta, submixa, subnixa exhibent.

1) Hor. de A. P. 280: et docuit magnumque loqui nitique cothurno; Ovid. amor. 3, 1, 31: pictis innixa cothurnis; Plin. IX epist. 7: hanc tragoediam appellare soleo, quod quasi cothurnis, illam comoediam, quod quasi socculis sustinetur.

quidam commemoratur, „qui cum palla et cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat“. Is vero cothurnus, quem fere gestans Bacchus in statuis fingitur, a tragico eo tantum differebat, quod et artificiosius compositus erat et crassis soleis subereis carebat; simillimus quamvis ornatior erat cothurno, quo ne crura sentibus et silicibus laederentur venatores utebantur. Cf. Antonii Richii antiquitates rom. p. 194. Tali igitur modo et quid discriminis interesset inter tria illa cothurni genera et de quo cothurno Vellejano loco ageretur satis exposuisse mihi videor. Jam ex iis quae supra disputavimus consequitur Ruhnkenii conjecturam cum exempla ab eo allata pertineant omnia ad tragicum cothurnum hic non esse probandam. Restat hoc unum, ut lectio vulgata succinctus num recte dicatur videamus. Quod ut assequamur, quae significatio insit in vocabulo succinctus indagemus necesse est. Nimirum succingendi vocabulum duas habet significationes; aut enim retinet vim ipsi propriam, quod plerumque fit, ut respondeat nostro vocabulo umgürten[1]) vel significet ita instruere, ut rem cinctu adjungamus, aut vi latius patenti usurpatur, ut sit succinctus idem atque instructus notione cingendi plane omissa[2]). Hoc autem de quo agimus loco non aliam nisi propriam illam significationem huic vocabulo subjiciendam esse facile est intellectu. Etenim cothurnus pedem usque ad suram cingit; quare qui cothurnum gestat aptissime cothurno succinctus vocatur. Recte igitur Haasius vulgatam lectionem tuetur, quamquam Orellii sententia qua nititur probanda non est, qui ad Tac. ann. 11, 31, ubi feminae ex Baccharum more pellibus accinctae commemorantur, haec adnotavit: succinctus apud Vellej. 2, 82, 4 intellige de fasciis

---

1) Sic dicitur succinctus gladio, pugione, cultro, ferro. Cf. Auct. ad Herenn. IV, 52; Cic. Phil. 13, 16; Liv. 7, 5; Suet. Jul. Caes. 84, 6, Aug. 32, 2, Caligula 26, 2, 32, 7; Vitell. 11, 1. Cic. in Verr. 5, 56, 146.

2) Cf. Liv. 21, 19: succinctus armis legionibusque; Justin. 6, 1, 2; 35, 1, 9: viribus succinctus bellum Demetrio infert.

et fibulis, quibus suris subnectebantur cothurni. Id enim quod Orellius dixit in tragicum tantum cothurnum, non in venaticum cadit, quia cothurni venatici, ut ex statuis Bacchum fingentibus satis cognoscitur, non fasciis et fibulis suris subnectebantur, sed ipsi in antica parte vinculis constringebantur iisque constricti pedem usque ad mediam tibiam includebant. Cujus formae expressam fere imaginem intueri licet in elegantiore illo calceatu quo honestioris fortunae viri atque mulieres utuntur. Cf. Balduini disputationem de calceo antiquo p. 142 sqq. Beck. Gall. edit. 3. p. III, 166 sqq.

II, 87, 1.

II, 87, 1 ed. pr.: Cleopatra frustratis custodibus inlata aspide morsu sane ejus expers muliebris metus spiritum reddidit. Burer.: aspide in morsu sane ejus, a quo non multum discrepat Amerb. aspidem morsu sane ejus. Kritzius Burerium secutus Cleopatram metus expertem fuisse in ipso morsus momento dicit. Hoc si Vellejus dixisset, oratio nimis langueret. Nam Cleopatra non modo in ipso morsus momento vel dum aspis mordet metu vacavit, quod per se perspicuum est, sed omnino metus expers fuisse existimanda est, quod id genus mortis sibi elegit. Quocirca legendum esse suspicor: inlata aspide morsa sane omnis expers muliebris metus spiritum reddidit. Quod si reposuerimus, non modo particulam sane loco suo positam inveniemus, sed etiam hoc assequemur, ut totius enunciati sententia Velleji ingenio magis sit accommodata. Totum autem locum patrio sermone sic converterim: Cleopatra täuschte ihre Wächter, liess sich eine Natter bringen und gab, von derselben gebissen, in der That frei von aller weiblichen Furcht ihren Geist auf. Vocem omnis facillime abire potuisse in ejus non est quod demonstrem; cf. Vellej. I, 8, 2: quo quidem in ludicro omnisque generis certaminum Hercules victor extitit, ubi Kritzius

voces tam similes omnisque et cujusque inter se mutatas esse asseverat.

II, 88, 2.

II, 88, 2 ed. pr. et Amerb.: quippe vixit angusti clavi pene contentus.

In vocabulo pene latere substantivum, ex quo genitivi praecedentes pendeant, recte vidit Ruhnkenius, quamquam ipse conjectura abstinuit. Tale quid etiam Krausius desideravit, cui tamen illud substantivum quod requiritur non latere videtur in „pene", sed potius e textu elapsum esse, pene autem ex alia particula corruptum. „Sed neque hanc particulam, ita pergit Krausius, neque substantivum elapsum conjectura adsequi ausim, quamquam res et sententia suadeat honore vel decore vel insigni, quod ultimum vocabulum valde solemne est Nostro." His verbis sine dubio Kritzius permotus est, ut pro pene scriberet „insigni". Quae scriptura quomodo in pene depravari potuerit, ita demonstrare studet, ut „in" i. e. ĭ. absorptum fuisse i praecedente, si abiisse in p, ex g residuum esse e, postremum i confusum ut centies cum littera e dicat. Sed haec emendandi ratio quam Kritzius ingressus est licet ingeniosa videatur, tamen argutior quam verior est ob eamque causam rejicienda. Etenim eodem modo eodemque jure a Vellejo decore vel honore vel aliud quidquam scriptum fuisse probari potest. Haud magis mihi placet conjectura Rubenii, qui „angusticlavia paenula" teste Heinsio scribendum censuit. Nam pro paenula saltem scribere debebat „palla", quae vox cum ab Horatio aliisque scriptoribus[1]) saepissime usurpatur pro eo quod est tunica,

---

1) Cf. Heindorfii adnot. ad Hor. sat. 1, 8, 23: vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam; Virg. Aen. 6, 555; 11, 576; 1, 648. Ovid. Amor. 3, 13, 26. Met. 4, 481; Varro de ling. l. V, 13.

tum ad habitum Maecenatis femineum accommodatior est. Mihi scribendum videtur „angusti clavi jure contentus“ h. e. si quidem verba per synecdochen explicamus: equestris ordinis jure contentus. Comparare possumus Vell. II, 118: Arminius... jure etiam civitatis romanae jus equestris consequens gradus. Denique cf. Porphyr. ad Hor. od. 1, 20, 5: constat Maecenatem in equestri dignitate sua mansisse, cum utique facultas lati clavi pateret, et Plut. Galb. p. 1056 A: *τῷ δ᾽ἀπελευθέρῳ δακτυλίους τε χρυσοῦς ἔδωκε,* quae verba latine sic explicanda sunt: liberto jus annulorum aureorum dedit.

II, 99, 4.

II, 99, 4 Kritzius sic edidit: illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia ad eum convenientes, semper privato, si illa majestas privata unquam fuit, fascis suos summiserint.

Hujus loci multum tentati structuram turbatam esse omnes intellexerunt, ad quam expediendam Haasius, ut alios omittam, post „profecti“ supplevit „essent“. Omnium conjecturarum maxime mihi probatur Sylburgii, qui in adnot. ad Vell. „structurae perficiendae gratia“ hoc proposuit legendum: ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias visendi ejus gratia eum convenirent semper privato — fascis suos summiserint.

II, 100, 3.

II, 100, 3 ed. pr. et Amerb.: quippe filia ejus Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reli-

quit, magnitudinemque fortunae suae peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet pro licito vindicans.

Quamquam nullusdum criticorum in his verbis offendit, tamen mendum in iis latere mihi persuasum est. Etenim si Krausio illud concesserimus fortunam significare ut supra II, 41, 2[1]) genus sive ortum, quod si totius enunciati sententiam consideraveris concedendum erit, rectius utique legemus: „magnitudine fortunae suae peccandi licentiam metiebatur", ut haec sit Velleji sententia: Julia quo illustriore genere nata erat, eo majorem sibi peccandi licentiam esse putabat. Haec ita esse accipienda jam vidit Krausius, quamquam verba ipsa intacta reliquit. Vulgatam lectionem si retinere malis non aliter interpreteris nisi ita, ut dicas Juliam quo majorem haberet peccandi licentiam eo se feliciorem putasse. Quam absonum sit dicere Juliam quam illustri genere nata esset ex peccandi licentia intellexisse nemo non videt. Ceterum verba „quod facere aut pati turpiter" duos locos Livii in mentem revocant 2, 12, 9: et facere et pati fortia romanum est, et 2, 40, 8: ego nihil jam pati, nec tibi turpius quam mihi miserius possum.

II, 105, 1.

II, 105, 1 ed. pr.: intrata protinus Germania subacti Canninifaci, Attuari, Bruteri, recepti Cherusci, gentės, et inamninus mox nostra clade nobilis. Amerb. haec verba sic exhibet: intrata protinus Germania, subacta cām vi faciat ruari Bructeri, recepti cervissi, gentis et inamminus. Burerius: gentes et inamminus.

Legenti mihi haec verba in mentem venit illud Rhenani, quod in fine ed. pr. p. 70 dixit, „nihil non fuisse depravatum"

---

1) II, 41, 2: dissimilemque fortunae suae indutus habitum nocte urbe elapsus est.

sc. in codice Murbacensi. Quod quam verum sit luculenter hoc loco apparet. Nam in his verbis nulla structura, nulla sententia inest. Quare huic loco mederi non possumus nisi conjectura, qua viri docti adeo non abstinuerunt, ut nullus fere Velleji locus tot tamque variis conjecturis obrutus sit. Atque in priore hujus loci parte emendanda, ubi quatuor Germanorum gentes commemorantur, ut Rhenanus et Popma tam feliciter versati sunt, ut sine ulla dubitatione legendum sit: „intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci", ita in posterioribus verbis restituendis, de quibus nunc disputare in animo est, viri docti recentioris aetatis vehementer elaboraverunt et alii aliam difficultatis expediendae viam inierunt. Ex magno autem conjecturarum numero duae potissimum dignae sunt, quas accuratius examinemus atque ponderemus, altera Froehlichii in Diurnis doct. Monacc. a. 1837 Nr. 73. p. 606. sqq., altera Doederlini in libro qui inscribitur „Reden und Aufsätze" vol. II p. 311. proposita, quamquam et ipsae habent, in quo offendere possis. Froehlichius enim, cujus emendationem Kritzius in editionem suam recepit, praeeunte aliqua ex parte Vossio[1]) conjecit legendum esse „Cherusci, gens utinam minus mox nostra clade nobilis". In his primum „gens" parum habet a codice Murb. commendationis, nam „gentes" in codice fuisse Rhenanus, Burerius, Amerbachius testantur. Quod si Strab. VII. p. 447. B. comparaveris, non erit quod in voce gentes offendas. Cheruscorum enim nomine comprehenduntur etiam gentes cum iis foederatae, ab occidente Visurgis habitantes, quas Strabo l. l. vocat eorum ὑπηκόους et quas pugnae in Teutoburgiensi saltu commissae interfuisse ex Tac. Ann. I, 60 et Cass. D. LIV, 33; LV, 1; LVI, 18 satis elucet. Deinde quae sequuntur verba „utinam minus mox" etc. quamquam codicis scripturae consimilia sunt, tamen quam habeant sen-

1) Vossius conjecit „Cherusci, gentes et, utinam minus mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis."

tentiam si tecum reputaveris, minus, opinor, tibi arridebunt. Conferri jubet Froehlichius Vellej. II, 28, 3: primus ille, et utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit. At cum ibi verba „et utinam ultimus" aptissime addantur, quippe quibus et scite vituperetur Sulla et Velleji animus plane cernatur ingenuus, tum nostro loco exclamatio quam Froehlichius statuendam esse censet aliquid languidi habet. Etenim si fatum erat Romanis, ut Vellejus II, 118, 4 censet, cladem Varianam accipere, si fato cedere omnes homines coguntur, non perspicitur, cur scriptor verba „utinam — nobilis" addiderit, quibus omissis nihil desiderabis. Ut vero sit usus Vellejus hoc loco exclamatione, tamen cur vocula mox verbis inserta sit non intelliges. Vellejus enim qui erat homo vere Romanus, ut Germani minus mox nobiles facti essent clade Romanorum, optare non poterat, sed ne omnino clades illa Variana accepta esset vehementissime cupere debebat. An exclamationem illam condonabimus recenti ob cladem Varianam irae? Quod ne concedamus impedimur hac re, quod in hostibus Romani nominis virtutem tantum abest ut Vellejus sileat[1], ut ultro efferat. Nihil enim magnificentius est elogio Mithridatis, Ponti regis[2]. Neque de Marobodui, regis Marcomannorum[3] aut Arminii nostri[4] nomine illustri detrahit. Atque etiam cum Romanis assentari videtur, Germanorum laudes dissimulare neque voluit neque potuit.

Paulo magis a codicis Murb. lectione recedit Doederlini conjectura, qui probante Haasio scribi vult „gentis ejus Arminius mox nostra clade nobilis". In his verbis duo sunt quae displiceant, quorum alterum est, quod inepte commemoratur hoc loco Arminius, cujus ingenium, mores, condicio

---

1) Cf. II, 8, 3: Cimbri et Teutoni transcendere Rhenum multis mox nostris suisque cladibus nobiles.
2) II, 18.
3) II, 108, 109.
4) II, 118.

fusius uberiusque paulo infra II, 118 describantur, alterum quod ex quo vocabulum „ejus" sit ortum non apparet. Praeterea autem genitivi „gentis ejus" hoc modo quo Doederlinus vult cum substantivo Arminius conjuncti aliquid duri habent, certe Vellejus nusquam usus est ea dicendi brevitate quam a Justino [1]) saepenumero admissam videmus. Cf. Vell. II, 118, 2: Arminius, Sigimeri principis gentis ejus filius etc. Aliam igitur emendandi rationem ingrediamur necesse est. Ac mihi quidem locus restitui posse videtur, si scribatur „gentes acie immanes, mox nostra clade nobiles". Quae verba quam prope accedant ad codicis lectionem, comparatione instituta videre licet:

GENTESETINAMNINVS
GENTESACIEIMMANES

Denique vide sis II, 112, ubi „etiam" confusum esse cum „aciem" conspicuum est.

II, 111, 4.

II, 111, 4 Amerb.: quantis prudentia ducis opportunitatibus furentis eorum viris universas evasimus partibus! quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus! Burer. furenteis eorum vires; ed. pr. furenteis in eum vireis.

Tiberii prudentiam atque virtutem longa militiae et bellorum experientia ad perfectionem perductam laudari hoc loco apertum est. Sed neque evasimus, quod non sine ignominia dicitur, neque elusimus, quod Kritzius probavit, ei rei quam dico significandae convenit. Tale potius verbum desideratur, quod Pannoniorum vires fractas ac debilitatas esse significet. Itaque pro „evasimus" scripserim „everti-

---

1) Justinus lib. XX, 1, 4 dicit omnes Graeci nominis pro eo quod loquendi consuetudo postulare videtur omnes qui erant Graeci nominis.

mus". In verbis quae sequuntur: quanto cum temperamento — vidimus duos genitivos requiri, eorumque alterum excidisse tam simul vox ostendit quam ipsum temperamenti vocabulum, quo Vellejus usus est et ea quidem significatione, ut respondeat Germanorum vocabulo: das rechte Maass sive das richtige Maasshalten. Quare illa verba sic scribenda esse puto: quanto cum temperamento simul dignitatis et utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus! Cf. II, 127 2 interestque reipublicae, quod usu necessarium, et dignitate eminere utilitatemque auctoritate muniri.

II, 114, 4.

II, 114, 4 ed. pr. et Amerb.: Batonemque et Pinnetem excelsissimos duces, captum alterum a se deditum justis voluminibus ordine narrabimus.

Haec verba Velleji non dubito quin corrupta et ad hunc modum e Cassio Dione emendanda sint: Batonemque et Pinnetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum ultro deditum etc. Cassius Dio lib. 56. c. 16. (ed. Dind.) haec narrat: *καὶ ὁ Βάτων, Σκευᾶν τὸν υἱὸν πρὸς Τιβέριον πέμψας, παραδώσειν οἱ καὶ ἑαυτὸν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ πάντας ὑπέσχετο, ἂν τῆς ἀδείας τύχῃ. καὶ μετὰ τοῦτο πίστιν λαβὼν νυκτὸς ἐς τὸ στρατόπεδον αὐτοῦ ἐσῆλθε.* A se deditum, quod Orellius probavit, latine dici posse vix crediderim.

II, ,116 2.

II, 116, 2 ed. pr. et Amerb.: Passienus et Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres.

Hoc loco et Haasius et Kritzius in voce quibusdam offenderunt. Ille enim eam vocem tanquam spuriam appositis parenthesis signis ejiciendam esse judicat, hic autem non du-

bitat, quin Bothius hoc uno certe loco Velleji manum restituerit scribendo quamvis. At vero mihi locus non mutatione, sed trajectione[1]) verborum egere videtur. Nam si pronomen quibusdam post vocem diversis posueris, vulgata lectio ferri poterit. Haec igitur erit sententia Passienum et Cossum virtutibus longe diversis fuisse celebres. De hoc peculiari pronominis quidam usu, qui Kritzium fugit, cf. Kochii et Kuehneri adnot. ad Cic. Tusc. 2, 4, 11; excelsum quendam, Seyfferti comment. in Cic. de amic. p. 199, 322, Naegelsbachii praecepta latine scribendi, qui p. 226, 3 hos comparavit locos: Cic. de Oratore I, 20, 91: innumerabiles quosdam nominabat; ad fam. X, 12, 1: idque contigit — meritorum tuorum in rem publicam eximia quadam magnitudine. Cic. de amic. II, 6, VII, 25, IX, 29, XIII, 45, XVI, 59, XX, 74, 75. Acad. II, 1. Denique alia causa levior illa quidem, cur Bothii emendationem probare nequeam, est haec, quod Vellejus particula quamvis quod sciam nusquam usus est.

II, 118, 4.

II, 118, 4 ed. pr. et Amerb.: postulabat etiam fata consiliis.

Multa tentaverunt viri docti, ut difficultatem, quae inest in voce aperte corrupta postulabat, tollerent. Quorum conjecturas cum longum sit enumerare omnes, lectores relegamus ad ea, quae a Kritzio p. 499. allata sunt. Mihi re etiam atque etiam considerata Vellejus scripsisse videtur: at plus pollebant jam fata consiliis. Particulam at, quae hoc loco deesse nequit, quicquid Kritzius contra dicit, cum Haasio inserendam esse censeo.

---

1) Cf. ea quae Kritzius in recensendis Velleji depravationibus de trajectione verborum Prolegg. p. CXIV. et Haasius praef. p. IV. disputaverunt. Haasius praef. p. IV. v. 14, quod ejus pace dixerim, vocabulo transpositionis usus est, quod apud latinos certe scriptores non invenitur.

II, 126, 1.

II, 126, 1 ed. pr. habet: horum sedecim annorum opera quis cum inserta sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur? Burer. et Amerb. cum insera oculis.

Haec verba haud scio an sint sic legenda: horum sedecim annorum opera quis cuncta inserta oculis animisque omnium partibus eloquatur? Cf. Liv. VII, 34: inde admiratione paventibus cunctis quum omnium in se vertisset oculos, et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in aequiorem locum et ipse in summo constitit vertice. In, quod ex praecedenti littera **m** natum videtur, Haasius in editione appositis parenthesis signis abjiciendum esse recte indicavit, quoniam v. cuncta opponitur „partibus“.



